

(quæ justum facit quicquid in bonum publicum vergit)
nec cives paupertate laborent, etiam hisce vectigal
aliquod imponere. Et imprimis notandum, si qui-
busdam forte quæ ad victum pertinent, divites fre-
quentius quam pauperes utantur, ut e. g. vino, hæc ve-
ctigalibus accipiendis magis apta esse. Honestissimum
vero putandum vectigal, quod iis imponitur rebus quæ ad
luxum, delicias pompamve spectant, & mores corrup-
punt. Et verò illa collatio gratissima Deo, pulcherrima civi-
tati, Magistratui honestissima, plebi utilissima est. Quip-
pe cum illâ divites onerentur pauperes verò subleventur,
inopibus consulatur & luxui hominum potentium mo-
dus statuatur. Quare etiam leges Romanæ aromata & e-
jus generis merces vix necessarias usui humano vecti-
gales esse jubent. Optimo itaque jure vectigal in her-
bam illam quam tabacum appellamus statuitur: nec credo
temere quenquam improbatum, si Princeps vectigal
statuat in ebrios, & ebriosis vinum vel cerevisiam ven-
dentibus. Et quis non Neapolitanum illud institutum
omni laude dignum censeat, quod singulæ cartæ lusoriæ
quæ Neapoli in Hispaniam vehuntur non levi vectigali
sint oneratæ. Vectigal serici annuos aureos centum mil-
le ibi referre scribit Aut. *Thef. pol.*

LXIII.

Porro etiam illa tributa probanda maximè sunt, quæ
peregrinos magis quam domesticos afficiunt. Hoc
autem obtineri putat Bach. si præcipua tributa eis merci-
bus imponantur quæ evehuntur. Sic enim non tam
onerari venditores quam illos quibus venditur: dum quic-
quid illis imponitur, hoc ipsi ab illis carius vendendo
extorquent. Sic lanè Judaicæ gentis opes ex opobalsami
vectigali creverunt. Sequitur hinc porro, tributa maximè
exigen-